

rit partum imbecillem : qui statim est mortuus. Quæritur quomodo curanda, & an balnea illi quoque conueniant. Nouit excellentia vestra, quod menstrua alba proueniât aut ex iecore, aut ex ventriculo : crediderim ego quod iecur malè affectum mittat huc superfluitates suas ad matricem, quæ est receptaculum multorum malorum humorum. Corrigetur alteratione, & sic tollitur mala temperatura illa. exhibebitur primò hiera cum casia, postea syrapi, quales suprâ dicti sunt: deinde cocchiæ, vel alia quæ purgant pituitam: sed quia corpus tenue, vteretur hiera sepius, quæ temperat temperaturam frigidam & humidam. Postea, si biberet aquas balnearum, quæ calidæ & siccæ essent, temperabuntur membra naturalia, ventriculus, hepar & matrix (quod idem fortasse nobilissimo viro faciendum erit, quod suprâ omiseram) postea immergetur etiam in iis, vt magis roborentur omnia ista membra: vterer etiam confectionibus magnis & mithridato, inungerem ventriculum & hepar oleis calidis: imponerem in matricem corroborantia eam: sed potissimum victu vterer attenuante, quæ optima foret ratio curandi.

MONTANVS.

Duo quærentur à nobis principalia. Primò, quomodo curâdus sit à nobis quidam Dominus in Germania, qui laboret hoc symptomate. Habet circa scapulas & vertebrae colli dolorem remissum, sed perseverantem, qui exacerbatur sub coniunctione Lunæ: cui est annexum impedimentum in motu ad circulum non in inflexione, sed circumquaq; mouendo. De hoc doctissimè conqueritur suis literis, & petit cõsiliu distictum, vt rum comperat curatio cum balneis, aut thermis, seu fontibus calidis, an cū pharmacis: quod fortasse sit discrepantia aliqua inter Medicos illius loci, vtra magis cõueniat ratio, vel ipse etiam nobilissimus vir ab alterutra abhorreat. Secundò interrogat circa honestissimâ vxorem suam, que conqueritur de immunditie vteri, quomodo ea sit curanda. Vt igitur eius dominationi satisfaciam, incipiam à primo. Ex quo patet illud symptoma qualitate, quantitate, & in quo loco sit etiam, videlicet circa vertebrae colli, apparet iam natura symptomatis. Dolet dolore remisso, qui exacerbatur circa coniunctiones Lunæ, & impedit motu circulare. Hæc symptomata nota sunt ex ipsa relatione, sed causæ facientes ea latent, & tantum patent Medico experto in discursu & curationibus. Quæ igitur sunt causæ? est hic dolor & impedimentum motus. Duo igitur læsa circa facultates sentiendi & mouendi, quæ ambo ad animalem virtutem pertinent: quæ læsa est dupliciter in sensu & motu. Quæredæ ergo causæ sunt, & primò intrinsecæ. Quia actio animalis impeditur, & omnis actio animalis immediatè procedit à cerebro, ergo nocumentum erit vel in cerebro, vel in instrumentis à cerebro immediatè procedentibus, q; sunt nerui. Ergo hic est impedimentum vel in cerebro, vel in neruis, vel in vtroq;. In quo igitur est causa efficiens hoc symptoma? Primò credendum, quod sit in cerebro, apparent

A coniecturæ: audio circa coniunctione Lunæ maximè eum pati: & nos scimus ex Auicenna, cum loquitur de actionibus Lunæ, quod vim habeat in nostris corporibus, & præcipuè de cerebro loquitur, ita vt id dicat crescere & decrefcere ad motum Lunæ: & omnes ægritudines cerebri exacerbantur secundum Lunam, vt epilepsia: & omnes defluxus à capite maximè exacerbatur circa coniunctionem Lunæ, quæ vt Galen. 3. de Dieb. criticis dicit, maximam facit motionem intensiuè & extensiuè. nam per tres dies durat. Oppositio vero maximam quidem facit motionem, sed intensiuè tantum, non extensiuè, quia fit in puncto tantum. Quoniam ergo in coniunctione exacerbantur morbi cerebri, non leue argumentum est inde dependere defluxum eiusmodi. Deinde ille Dominus est optimi habitus, viuidi coloris, bonæ carnis: ergo bene concoquit, & bene distribuit, & primam & secundam digestionem habet vt oportet. Nec consuevit laborare multis morbis, semel tantum quartanam habuit ex esu fungorum, & fortasse alia accidentia, & in renibus destillationem arenularum: ita vt si colligamus totâ historiam, corpus hoc non est subiectum morbis, quia membra naturalia bene disposita habet. Quod cum ita sit, & hic morbus perseveret, non possumus habere aliam causam, nisi cerebrum. Est ergo in cerebro primarius affectus, tanquã in membro mandante, & ex eo est origo & fomes huius fluxus. Cerebri autè intemperies est frigida & humida, vel **D** natura: quoniam sæpe hoc contingit, vt hepar & cor sint bene disposita, & tamen cerebrum sit humidius: vel etiam propter causas extrinsecas, vt quia degit in aere humidior, & in studio legum difficili versatur, ac negociis publicis, vnde plurimum laborat etiam tempore coctionis: propter quod impedimentum concoctionis vapores ascendant, & ita cerebrum laborat: & propter malam hanc victus rationem non leuis est causa huius morbi. Ex his concluderim, temperaturam frigidiorè & humidiorè in cerebro quæ oporteat, ratione cuius abundant excrementa, quæ collecta tandem, vt Galen. refert de ophthalmia, à virtute expulsiua depelluntur ad locum magis debilem & imbecillum. Iam de membro suscipiente dicendum. Sunt autem nerui: hi siquidem sunt, qui suscipiunt nocumentum, ex quo causantur prædicta symptomata. An verò illi etiam consentiant? hoc est necessarium: nam ad hoc vt fiat defluxio, non tantum requiritur vt peccet membrum mandans in generatione, sed requiritur etiam imbecillitas membri suscipientis. Quod enim membrum suscipiat, sit vel quia alteratur ad calidum, & attrahit violenter: idque duplici ratione ob dolorem aut inflammationem, vel ex debilitate membri ob aliquam malam intemperiem. In hoc casu nostro fit decursus à cerebro ad neruos. An modò sit violenta attractio, an imbecillitas? Credo vtrunque concurrere: adest enim dolor qui attrahit, & est imbecillitas. Sed materia an calida, an frigida? **G** Nemini dubium est, esse potius frigidâ, quoniam omnia attestantur super frigiditate tali, perseverantia per longum tempus: si enim materia calida foret, diffilaretur, nec tandiu perseveraret. Et est

32
est
do
lit
ne
igi
da
c
&
qu
gi
co
pr
ma
pr
pe
rit
me
Hi
tes
bru
str
pe
go
pe
tur
hi,
da
no
tal
ru
qu
cer
hu
cur
gi
mu
tes
tio
aug
ann
mo
sim
Sui
cifs
xim
eua
rati
tis:
qui
frig
nim
uer
smo
&c.
nor
2
rier
te
gur
tio
cui
nob